et sanguinē christi: vt decenter et reuerenter ibi  
possint locari.

**II** Quot ⁊ q̄ sint huiusmodi vasa.

**Sol.** Duo q̄ necessario requirunt: scz calix ⁊ patena.

**III** De qua materia debeant esse vasa ista.

**biū Sol.** Hec vasa debent esse de auro vel argēto nisi pau-  
ptas obsistat: In q̄ casu sufficit q̄ sint de stāno.

**III** Atz requirat q̄ sint cōsecrata.

**Sol.** Sic: fortiori ratōe q̄ vestes: p̄pter causam supe-  
rius expressam.

**.III.** Resoluens VIII dubia occurrentia circa circūstāntias  
et alia exteriora requisita.

**I** Atz liceat alicui sine libro missali celebrare.

**Sol.** Nō licet alicui: etiā si omnia memoriē sciret. Sz  
debet habere librū in quo ad min⁹ missa dicen-  
da cum canone contineatur: p̄pter periculū er-  
roris q̄ ex obliuioe vel distractioe p̄tingere pōt.

**II** Utrū liceat alicui sine igne siue lumine cādele ce-  
brare.

**abiū Sol.** Nō licet: In lege em̄ scriptū est: Ignis in altari  
meo semper ardebit: qd̄ in celebratione hui⁹ sa-  
cramenti maxime obseruandū est: vbi ille imo-  
latur: tractat⁹ et sumit⁹: q̄ est cando: luc⁹ eterne:  
et qui venit ignē mittere in terram. ⁊c.

**ucf. 12.** **III** Atz sacerdos solus: nullo psente: licite possit ce-  
lebrare missam.

**Sol.** Nullo modo licet: sed ad min⁹ vnus debet esse  
presens: qui sacerdoti celebranti ministrat: et in  
persona ecclesie vel toti⁹ populi respondeat.

**III** Cui⁹ cōditiois et q̄litas debet esse ministrās.

**Sol.** Ministrans debet esse masculus et clericus aut  
saltem sciens ministrare celebranti et responde-  
re. Et si fuerint plures ministrantes: debēt etiā  
huiusmodi eē conditionis: vt notat⁹ ī cañ. hoc  
qz de conse. di. ij. et in glo. ibidē. Unde patet q̄  
nulli femine etiā si sanctimonialis fuerit: licitū

## Capitulum VI

est ad missam ministrare.

**V** Quid si ministrās aliqua causa vel occasione recedat de altari dimitēdo celebrantē solū: reuer-  
sus tamen. Atq; celebrās debeat pcedere in  
missa: vel cessare donec ministrans redeat.

**Sol.** Procedere debet quousq; aliqd̄ occurrat ī quo  
indigeat ministerio ministrantis.

**Dubiū VI** Quid si ministrans recedens nō reuertat̄.

**Sol.** Sacerdos celebrās necessitati cōpulsus: vicem  
ministrantis suppleat.

**VII** Quid de sacerdote incluso vel heremita ⁊ solita-  
rio: An scz solus celebrare possit.

**Sol.** Si ei non suffragetur copia ministrantis: solus  
celebrare potest: alias sec<sup>o</sup>: vt notat̄ ī glō. circa  
solutionē quarti dubij pcedentis allegata.

**VIII** Quid si quis omittat aliquid pdictoz̄.

**Sol.** Quis cōsecret: scienter tamē vel ex ignorantia  
crassa omittēs: grauit̄ peccat: vt etiā circa su-  
periora dictū est.

**Capitulū VI de dubijs que occurrunt in  
cerimonijs cōsuetis et obseruandis in mis-  
sa et circa eam: tam in agendis q̄ in dicen-  
dis: tres includens articulos.**

**Arti. I.** Resoluens X dubia q̄ oriunt̄ circa agenda et dicenda  
ante missam.

**Dubiū I** Atq; celebratur<sup>o</sup> missam: aliqd̄ specialiter agere  
debeat ante missam.

**Sol.** Sic: cū em̄ omne quod agere intendim<sup>o</sup> per stu-  
dium cōsiderationis puenire debeam<sup>o</sup>: vt sic ad  
id quod agendū est preparemur: maxime decet  
vt fiat circa hoc dignissimū officiū: ne q̄s in ppa-  
ratus accedēs: iudiciū sibi manducet ⁊ bibat.

Prerequirir̄ itaq; debita ac sufficiens prepa-  
ratio sacerdotis: qua ita efficiat̄ disposit<sup>o</sup> et ido

## Capitulum

neus: vt digne ad celebrandū possit accedere.  
Uñ ⁊ scriptū ē: Ante orationē ppara aīam tuā. Eccl. 1.

**II** In quo cōsistat debita et sufficiens preparatio sacerdotis celebraturi.

**Sol.** Preparatio illa cōsistit in debita et suffiēti cōscientie mundificatione et adornatiōe: que prequirunt debitā suiipsi<sup>9</sup> p̄bationē: id est: diligentem cōscientie sue examinationē: s̄m q̄ apostol<sup>9</sup> Corinthios monet ita scribens: Probet autē seipsum homo. ⁊c. 1. Cor. 11.

Et ita ex toto tria i genere requiruntur ad debitā sufficientem et dignam preparationem: scilicet.

probatio.  
purgatio. } cōscie.  
adornatio.

**III** Qualiter: et in quib<sup>9</sup> quis seipsum p̄bare et examinare debeat.

**Sol.** Primo ⁊ ante omnia debet cum diligentia conscientia suam discutere et examinare: presertim a prima cōfessione debite facta. Si interea ne inciderit in excōmunicationē: irregularitatē vel suspensionem: aut aliquid aliud huiusmodi impedimentū. Secundo: diligenter p̄spicere debet si ne interea aliqua mala p̄cipue mortalia cōmiserit. Si ne aliqua bona ad que obligatur omiserit: vel negligenter p̄soluerit.

Tertio si aliqua huiusmodi inuenerit: an ex toto corde de istis doleat: et ea p̄pter deū quem offendit detestet. Quarto: an habeat firmū p̄positū emēdandi vitā suam: ⁊ ab omnib<sup>9</sup> mortalib<sup>9</sup> cauendi in futurū p̄pter deū. Quinto: an intendat omnia cōfiteri ante accessum ad celebrationē: et iuxta arbitrium cōfessoris pro eis satisfacere. Sexto: ut habeat rectā fidē cum debita intentionē et conatu ad debite et deuote celebrandū. Septimo: an debitā diligentia i discussiōe ⁊ examinatiōe p̄dictorū adhibuerit.

Hec diligenter animaduertant sacerdotes cō

Nota

rubinarij: lusofores: crapulofsi: ebriofsi: et alij cōsi-  
miles in damnabili statu viuentes. Idem sentq̄  
studiose qualif ad celebrandū accedant: et que  
eos vltio diuina expectet.

III Quanta requirat diligentia in examinatiōe pre-  
dicta: vt sufficiens reputet et debita.

Sol. Tanta requirit: q̄tā q̄s faceret in magno et ar-  
duo negotio: p̄ magna ⁊ ardua re lucrāda: aut  
gravi incomodo vitando: iuxta possibilitatem  
humane fragilitatis. Unde si quis huiusmōi  
diligentiā in cōscientie sue examinatione nō fe-  
cerit: indigne ad istius sacramenti celebrationē  
atq̄ sumptionē accedit: q̄ imp̄parat: ⁊ ita do-  
minici corporis et sanguinis reus iudicabit.

V Quō possit quis esse aut fieri cert⁹ q̄ debita ⁊ suf-  
ficientē diligentia in p̄tracta discussione fecerit.

Dubiū Sol. Ex quo hic nō requirit euidēs certitudo: cū illa  
absq̄ diuina reuelatione haberi nō possit: s̄ exi-  
gitur solū certitudo moralis siue civilis sicut in  
alijs agilib⁹ humanis: potest quis ex pbabi-  
lib⁹ cōiecturis post examinationē de debita di-  
ligentia factam: satis scire et certus esse: an de-  
bitam diligentia fecerit vel nō fecerit in discus-  
sione precedentū: et hoc sufficit: quemadmodū  
etiam dictū est supra capitulo. ij. articulo. iij. de  
certitudine essendi absq̄ peccato mortali.

VI In quo cōsistat debita et sufficiens cōscientie pur-  
gatio.

Sol. Talis p̄sistit post debita examinationē factā in  
peccatoꝝ p̄sertim mortaliū et alioꝝ impedimen-  
toꝝ si que per discussionē inuēta fuerint: totali  
et omnimoda remotione vel expulsionē. Ad  
quā expulsionē tria p̄cipue requirunt. Pri-  
mū: est vera et perfecta cōtritiō et peccatoꝝ de-  
testatio: per quā quis deo quē offendit recōci-  
liat. Secundum est pura et integra confessio.

Tertiū: est recta ac debita absolutio. Non

## Capitulum

eū sufficit q̄ accedens ad celebrandū sit per cō  
tritionē recōciliat⁹ deo : sed exigif q̄ etiā sit re/  
cōciliatus ecclesie : vt digne suscipiat sacramētū  
vnitatis ecclesie : quod sit p̄ absolutionē : q̄ p̄re  
quirif p̄fessionē. Et ideo si quis post mortale  
cōmissum : q̄tuncūq; cōtrit⁹ fuerit : accedat ad  
celebrandū absq; cōfessione ⁊ absolutione : mor  
taliter peccat : nisi occurrat casus q̄ in dubio se/  
quenti tanget.

**VII** Quid agendum si quis nō possit habere copiam  
confessoris.

**Sol.** Si possit absq; scādalo differre celebrationē dif  
ferat quousq; habuerit confessorē. Si vero imi  
neat scandalū nisi statim celebret : tunc cū debi  
ta cōtritione et voluntate p̄fitendū tempore oportu  
no celebret : vt scandalū euitet. Si tamē ex  
negligētia sua desit cōfessor : quē habere potuis  
set si debitā diligētiam fecisset : specialit̄ peniteat.

ubiū

**VIII** Quib⁹ ornāmētis p̄sciētia celebraturi debeat eē  
adornata : vt digne et debite possit celebrare.

**Sol.** Necessariū ē vt digne celebratur⁹ accedat oma  
tus recta fide : debita intentione : et sufficiēti co  
natu ad debite reuerentē ⁊ digne celebrandum.

Decens est etiā vt decorat⁹ sit hūmilitate : ca  
stitate : iusticia : ⁊ ceteris virtutib⁹ q̄ per vestes  
sacerdotales significant.

**IX** Utrū celebratur⁹ teneat dicere horas canonicas  
ante missę celebrationē.

**Sol.** Talis ad min⁹ dicere tenet ante celebrationem  
matutinas : alioq̄n mortalit̄ peccat. Ad alias  
autē horas canonicas non tenet añ missam sub  
peccato mortali : nisi aliqua specialis cōstitutio  
vel approbata consuetudo eum ad hoc obliget.  
Nihilomin⁹ p̄gruū videt vt etiā p̄me ante ce  
lebrationē dicant. In ceteris attendenda est  
cōsuetudo ecclesie cathedralis vel regiōis : cui⁹  
est pars vel subditus.



**Dubiū x** *Utz sint aliqua alia specialiter dicenda vel agenda ante missæ inceptiōē a celebraturo.*

**Sol.** In hoc attendenda est cōsuetudo diocesis vel religionis sue: s̄m quam si aliqua alia p̄mittant q̄ ad decentiā: reuerentiā ⁊ deuotionē deseruiāt: decet vt ita obseruet. Unde vbi cōsuetū est vt dicant isti psalmi: *Nō dilecta: Benedixisti: Inclina: Credidi: et De profundis:* cum quibusdam p̄cib⁹ ⁊ collectis. Vel etiā q̄dā psalmi ⁊ orōnes ad lotionē manūū et inductionē sacrarum vestiū ⁊ ad accessum ad altare: nō sunt ista a celebraturo omittenda vel p̄tēnenda. Solet etiam p̄mitti cōfessio generalis publica et osculatio altaris: apud quosdam thurificatio: p̄cipue ante missas solēnes: que suo mō etiā sunt obf̄uāda.

**Ar. II.** *Resoluēs XIII dubia occurrētia circa dicēda ⁊ agenda in missa: modūq; dicendi atq; agendi.*

**I** *Que sint dicenda et agenda in missa et quō.*

**Sol.** Generaliter illa dicenda et agēda sunt: et eo mō que ⁊ s̄m quod ordinatio ac cōsuetudo diocesis vel religionis celebrantis obseruat.

**II** *Utz sacerdos in missa debeat vel possit aliquid aliud dicere q̄ in libro missali cōtinet.*

**Dubiū Sol.** Magis expedit q̄ nihil aliud dicat: potest tamē cogitare aliqua deuotionē excitantia. Si igit̄ affectū habeat ad aliqua dicēda: p̄transseat illa cogitando atq; meditando.

**III** *Utz verba canonis debeant dici secrete: sicut et orationes in missa que secrete vocant̄.*

**Sol.** Sic: p̄pter multas causas: q̄s nō op est recitare.

**III** *Utz cetera p̄ter canonē et secretā vel secretas: si p̄les accipiāt: debeāt alta ⁊ audibili voce dici.*

**Sol.** Ita expedit fieri: Non em̄ absq; causa rationabili ecclesia fecit distinctionē inter canonem et alia dicenda: per hoc nāq; excitant ⁊ edificant̄ astātes. Si t̄n̄solus ministrans astet: qui for tassis (vt apud quosdam religiosos consuetum

## Capitulum

est) postea sit celebraturus: et sub ministracione se aliquo modo recolligat meditando: non videtur hac de causa necessarium: debet tamen nihilominus consuetudo loci obseruari.

**V** Vt in memorijs viuorum et mortuorum: debeat aliquo modo fieri nominatio.

**Sol.** Non est necesse. Si tamen celebrans ex nominacione eorum sentiat deuotionem augeri: poterit nominare: cauendo nihilominus puritate propter astantes.

**VI** Vt sacerdos cupiens aliquorum nominatim habere memoriã: possit ante celebracionem hoc facere.

**Sol.** Expediit ut ita faciat: presertim si publice et coram multis sit celebraturus: vel si multorum nominatim memoriã habere velit. Sicut etiam expediit ut celebraturus habens desiderium dicendi vel meditandi alia specialia pro deuotione maiori excitanda circa sumptionem sacramenti: hoc faciat ante celebracionem: vel etiam sub celebracione si missa in notis cantet: et tempus aptum ad hoc habeat.

**VII** Vt requiratur attentio celebrantis circa dicenda et agenda.

**Dub. Sol.** Quemadmodum non necessario requiritur actualis intentio: ut superius in capitulo. iij. articulo. iij. circa resolutionem tertij dubij dictum est: Ita etiam non necessario requiritur actualis et continua attentio: virtualis tamen semper est necessaria. Est autem virtualis attentio: virtus quedam relicta ex actuali attentione propria: et intentione siue proposito perseuerandi in tali attentione actuali. Et hec etiam sufficit: nisi interrumpatur per actuali attentionem sibi contrariam: siue voluntariam conuersionem vel euagationem ad alia. Veritatem studiosam diligentiam adhibere debet celebrans: ut actualem attentionem retineat: et ne ad alia distrahatur: quoniam si quis debitam diligentiam non adhibeat: a peccato non potest excusari.

**VIII** Vt ad debite et digne celebrandum: requiratur de-

uotio in celebrante.  
**Sol.** Deuotio duob' modis potest accipi. Primo: pro voluntate prompte tradendi se ex dilectione ad ea que pertinent ad dei famulatū. Secūdo: p feruore dilectionis: quo mens cū quadam suauitate ⁊ delectatione eleuat ad deū. Et fm vtrūq; modū duplex potest eē deuotio. Quedā em̄ est actualis: quādo scz actualiter voluntas p̄mpte se tradit diuino obsequio: vel mens actualiter feruet in dilectione. Alia est virtualis: vt cū ex actuali et p̄uia deuotiōe: relinquit quedā virt' q̄ ad actus sequentes cōcurrit. Circa actualem deuotionē duo sunt cōsideranda: scz deuotio ipsa: et conat' ad acquirendū eam. Circa officiū etiā misse duo attendenda sunt: scz misse celebratio: ⁊ ad celebrādū debita preparatio. Sacerdos itaq; celebratur' in preparatiōe circa examinationē et p̄bationē suiipsi': tenet habere deuotionē p̄mo modo dictā actualiter: hominis em̄ est preparare animū. De hac deuotione videt esse intel ligenda glosa. j. Cor. xj. dicēs: Indign' est: qui nō deuota mente accedit ad eucharistiā. Ad deuotionem s̄o secundo modo dictam actualiter habendam nō tenetur. Ille em̄ feruor dilectōis a domino gratuite dat. Unde aliquādo desiderat' dari: denegat: vel datus: subtrahit alicui: fm q̄ dispositio eius meret: vel salutē sue domin' nouit expedire. Verūtamē celebraturus tenet toto conatu illū feruorē desiderare: et possibilem diligentīā adhibere: faciendo totū quod in se est vt sibi detur: Mitendo omnē teporem: distractionē et euagationē mentis expellere: et si aliqd̄ huiusmodi occurrat: deliberate nō tenere: hoc em̄ faciendo: nō cēset indign' sed sufficient' deuot' accedere. Unde si ptunc ille feruor ei nō detur: nō debet p̄pter hoc a celebratione abstinere: sed absq; scrupulo celebrare. In ipsa autē celebratione non requirit' de necessitate deuotio actualis p̄mo modo accepta: sed sufficit et etiā requirit' virtualis ex actuali p̄cedente relicta. Licet etiā nō requiratur actualis deuotio sc̄do mō dicta: eo q̄ nō est i libera

## Capitulum

potestate nostra: requirit tamē et sufficit desiderium cum  
possibili conatu actuali ad acq̄rendū illam deuotionē:  
ta q̄ celebrans faciat quod in se est: cor sursum eleuan-  
do: put̄ et ipse astātes excitat et hortat̄ cū dicit: Sursum  
corda. Circa quod dicit Ciprian⁹ papa: vt habet de  
ose. di. j. q̄n. Ideo sacerdos pfatione p̄missa parat fra-  
trū mētes dicēdo: Sursum corda: vt dū respōdet plebs:  
Habem⁹ ad dñm: admoneat̄ nihil se aliud q̄ dñm cogi-  
tare debere. Laudat̄ p̄tra aduersariū peccat⁹: et soli deo  
dateat: nec ad se hostem dei venire patiat̄. Nec ibi.

X Atq̄ celebrans debeat stare capite discooperto.

Sol. Sic: vt habet de pse. di. j. c. null⁹: Nisi occurrat  
rationabilis causa cooperiendi. Et si q̄s absq̄  
tali causa stet cooperat⁹: grauit̄ peccat: vt habet  
ex eodem capitulo.

XI Cū q̄ debeat fieri ablutio p̄ sumptionē sanguis.

Sol. Cum vino: vt habet in. c. ex parte de cele. mis.  
Cuius ratio inferius vltimo capitulo reddeat̄.

XII Atq̄ sacerdos post missam inceptam licite possit  
desistere: officium nō perficiendo.

Sol. Nō pōt: nisi occurrat aliqua rationabilis et suf-  
ficiens causa.

XIII Quid agendū si sacerdos post missam inceptam  
moriat̄: vel in talē infirmitatē aut debilitatē in-  
cidat: vt nō possit perficere.

Sol. Si aliquod istoz cōtingat ante cōsecrationē: nō  
est necessariū q̄ missa p̄ aliū pficiat̄: potest tamē  
fieri si assit alius sacerdos disposit⁹. Et ille inci-  
piat vbi prior dimisit: quod si nesciat: potest in-  
cipere a principio. Si x̄o aliquod p̄dictoz con-  
tingat post cōsecrationē corporis et ante p̄secre-  
tionē sanguinis: vel post cōsecrationē vtriusq̄:  
tūc debet suppleri et pfici missa p̄ aliū dispositū.

Si autē cōtingat hoc in pfatione verborū cō-  
secrationis corporis: verbis iam in parte p̄nun-  
ciatis: similiter pficiat̄ per aliū: q̄ incipiat ibi.  
Qui pudie. Et si illud cōtingat in cōsecratione

sanguinis: incipiat ibi. Simili modo. Sic etiā agendū videt cum dubitat: vtz prio: sacerdos inceperit verba cōsecrationis pferre: et nō per fecerit. Nec reputandū est tunc fieri iteratio nem. Quia nō intelligit iteratū: quod ambigi tur esse factū.

**XIII** Quid agendum si celebranti sanguis per nares erumpat: vel fluere incipiat.

**Sol.** Pausare debet reclinando vel sedendo: donec flux<sup>9</sup> cesset. Lauere autē debet ne vestes vel ali qua sacra per sanguinē coinquinent: recipiēdo il lum vel in aliquo vase vel pāniculo put discre tionē sue melius cōuenire videt. Si autē ille flux<sup>9</sup> restringi nō posset: neq; sacerdos officii p ficere: tūc agendū est vt in casu dubij pcedētis.

**XIII.** Quid si sacerdos omittat aliqd vl aliqua de di cendis vel agendis in missa.

**Sol.** Si obseruet ea q̄ necessario ad cōsecrationē req̄ runt: cōsecrat: sed tamē grauit peccat si scienter omittat aliqd notabile ex institutione vel cōsue tudine ecclie ad hoc officii requisitum: vtputa misse introitū: Epistolā: Euāgelium: vel aliud huiusmodi. Si autē aliqd modice reputatio nis: vel ex negligentia aliqd omittat: min<sup>9</sup> pec cat. Diligentissime tñ cauere debet ne ptingat.

**Ar. III.** Resoluens III dubia que occurrūt circa dicēda: agē da: et cauenda post misse celebrationē.

**Dubiū I** Atq; aliq̄ specialit̄ sint dicēda p<sup>9</sup> misse celebratōez.

**Sol.** Sic: pmo namq; ⁊ ante omnia: dicende sunt cor de et ore: debite et deuote gratia ⁊ actiōes. Quz eñ vt et ipse celebrans in prefatione prestatur dignum et iustum sit atq; equum et salutare: vt semp et vbicq; dño gratie agant: qz ī nullo loco vel tempore nobis beneficia sua clement largi ri cessat: dignissimū: iustissimū ⁊ equissimū ē: vt hoc fiat post hui<sup>9</sup> beneficij pceptionē: et tanto diligēt<sup>9</sup> atq; deuot<sup>9</sup>: q̄to inter oia beneficia

## Capitulum

hominib<sup>9</sup> a deo collata : illud vnū de maximis habet. Non solū autē ideo gratias agere debet celebrās ne ppter ingratitudinē de tāto beneficio graui<sup>9</sup> iudicet a domino : sed et vt de tali gratias debitas exhibēs : potioꝝ beneficiorū dign<sup>9</sup> efficiat : et p̄cipue : vt ad crastinā celebrationē : vel saltē spiritualē isti<sup>9</sup> sacramenti sumptionē ad quā semp tenet esse disposit<sup>9</sup> : preparatioꝝ reddat. Semp em̄ celebratio p̄cedens : dispositio ac preparatio esse debet ad sequentem .

Magis autē attēdēda ē in hmōi gratiaꝝ actōe feruida cordis deuotio : q̄ plūx labioꝝ oratio .

**II** Atꝫ p<sup>9</sup> celebratōēz aliq̄ etiā singlarit̄ sint agēda .

**Sol.** Sic : debet em̄ is qui celebrauit in omnib<sup>9</sup> timore : virtuose et exemplariter se habere : et in bonis occupationib<sup>9</sup> exercitijsq̄ salutarib<sup>9</sup> cōsolationē et delectationē querere : vt in meditando : psallendo : orando : studendo : scribendo : legendo : docendo : et horas canonicas debite persoluendo . Ita vt et diabol<sup>9</sup> nūq̄ eum ociosum inueniat : et ad futura dona paratioꝝ fiat .

**III** Que sint sacerdoti post celebrationē cauenda .

**Sol.** Maxime cobibēda est lingua : ne loquat̄ leuia : inutilia : scurrilia vel dolosa verba . Sic etiā visus : ne videat vana . Et suo modo sensus ceteri sunt custodiēdi : p̄cipue etiā crapula et ebrietas fugiēda : ioci ⁊ ludi vitādi . Et vt hec facilius fieri possint : studendū est : vt dicit beat<sup>9</sup> Greg<sup>9</sup> : vt semp anim<sup>9</sup> in suo pondore et vigore seruet̄ : ne postea eum fluxa cogitatio dissoluat : ne vana leticia mentē subrepat : et lucrū cōpunctiōis anima p̄ incuriā fluxe cogitatiois perdat .

**III** Atꝫ statim post missē celebrationē : sit comedendum vel bibendū .

**Sol.** De iure nō debet fieri . Unde in canone : tribus . de cōse . di . ij . dicit̄ : Si mane dñica portio edif̄ : vsq̄ ad sextā ieiunēt ministri qui eā sumpserūt .

dubiū

Et si tertia vel quarta hora acceperit: ieiunent  
vsq; ad vespervas. Sed de consuetudine hoc ius  
nō seruat: ppter reuerentiā tñ tāti sacramenti:  
dignū est vt a cibo et potu abstineat donec de/  
bite gratia actiones sint reddite: et ita etiā in/  
terea species sacramentales verissimiliter existi/  
ment corrupte.

**Capitulū VII de dubijs occurrentib<sup>9</sup> cir  
ca materiā ad cōsecrandū aptam: videlicet  
panē ⁊ vinū: VI cōtinet articulos.**

**Arti. I.** Resoluens sex dubia que incidunt circa panē cōsecrā/  
dum siue hostiam anteq̃ cōsecratur.

**I** Quis et qualis debeat esse panis: vt cōsecrari et  
ex eo cōfici possit corp<sup>9</sup> chusti.

**Dub. Sol.** Debet esse tritice<sup>9</sup>: aqua naturali cōfect<sup>9</sup>: ⁊ azy/  
mus: id est nō fermentat<sup>9</sup>.

**II** Quis agendū: si sacerdos percipiat panē nō eē  
triticeū: vel alia aqua q̃ naturali cōfectum: aut  
fermentatū.

**Sol.** Si aliqd̃ istoz percipiat añ inceptionē canonis:  
panē illū remoueat: et aptū apponat. Et sine ali  
cui<sup>9</sup> repetitione pcedat. Si post inceptionem  
canonis et ante verba cōsecrationis: remoueat  
vt supra: et canonē reincipiat: hoc videt̃ tuti<sup>9</sup> ⁊  
cōuenientius. Si post verba cōsecratiōis pa/  
nis: ⁊ siue ante siue post cōsecrationem sanguis:  
ante tamen sumptionē panis: remoueat ille pa/  
nis: et recipiat aptus: atq; consecret: vt supra.  
Panis x̃o supra quē plata sunt verba cōsecre/  
tionis: reuerenter tractet: et sumat a celebrāte  
post sumptionem sanguinis vel a ministrante.

Si p<sup>9</sup> sumptionē illi<sup>9</sup> panis et ante sumptio/  
nem sanguinis: recipiat de nouo panis aptus:  
et cōsecret: vt supra: atq; sumat: nō obstante q̃  
ieinnū sit solutū per sumptionē panis non cōse/  
crati: q; pceptū de perfectione hui<sup>9</sup> sacramenti

## Capitulum

maioris est pōderis: q̄ p̄ceptū q̄ hoc sacramen-  
tum a ieiunis sumat. Si post sumptionē sang-  
uinis: reponat nou<sup>9</sup> panis apt<sup>9</sup> vt supra: et no-  
uū vinū: et cū repetitioe canonis: fiat noua cōse-  
cratio vtriusq; atq; sūptio: ne sac̄mentū maneat  
imfectū. Si x̄o panis apt<sup>9</sup> et debit<sup>9</sup> haberi  
nō posset aū cōsecrationē: deserat missa incepta.

**III** Quid agendum si panis appositus percipiatur  
esse corruptus.

**Sol.** Quia panis corrupt<sup>9</sup> dicit<sup>9</sup>: q̄ substantiā et spe-  
ciem panis perdidit: vel ex putrefactioe: vel ve-  
tustate: vel alio huiusmodi: quod percipi potest  
cum continuitas soluitur: et sapor: odor: color:  
aliaq; accidentia mutata sunt: Ideo non est pa-  
nis: neq; cōsecrabilis. Si ergo percipiat aliq;  
modoꝝ circa p̄cedens dubiū expressoꝝ: agatur  
etiam eo mō quo ibidem dictū est.

**III** Quid agendū si panis nō fuerit apposit<sup>9</sup>: vel p<sup>9</sup>  
appositionē ablat<sup>9</sup>: et nō percipiat donec ve-  
niat ad verba cōsecratiois.

**Sol.** Apponat panis aptus: repetat canon: et fiat cō-  
secratio illius.

**V** Quid agendū: si panis sit disposit<sup>9</sup> ad corruptio-  
nem: sicut notari potest ex aliquali mutatione  
saporis vel odoris: vel si habeat foramē vel fra-  
cturā: aut ablata sit aliqua particula: vel nō sit  
rotundus vt moris ē: vel habeat maculam aut  
aliū defectū cōsimilem.

**Sol.** Si aliquis istoꝝ casuū occurrerit et percipiatur  
ante cōsecrationē: p̄pter reuerentiā sacramenti  
remoueat panis ille: et apponat ali<sup>9</sup> aptus. Si  
autē ali<sup>9</sup> haberi nō possit: p̄cedat nihilominus  
in missa: et perficiat: nisi defectus in pane adeo  
notabilis fuerit q̄ graue scandalū astantiū ti-  
mendū sit si procedat. Si x̄o post cōsecratio-  
nē percipiat talis defect<sup>9</sup>: aut in ipsa cōsecratio-  
ne p̄cedatur et perficiat officium.

dubiū

Utrū in a  
vel cant  
fiteri co  
Sol. In nullo  
crimino  
dicit: q̄ si  
dia sunt  
Sol. Solens VII  
vult sine corp  
Utrū sacer  
Sol. Quoties  
Utrū in p̄  
Sol. Nō semp  
bestias p  
dicit p̄m  
nere. S  
firmitate  
haberet a  
lam quā i  
pani infir  
sanguine  
Vnde pan  
cōsecrata:  
vna tan  
Utrū age  
le super co  
fia cōsecr  
Sol. Dicitur  
de vel san  
Utrū age  
dentale  
vt manu  
Sol. Quia be  
lonatis  
sanguine  
lentran  
et cetera



**Dubiū VI** *Utrū in aliquo casu sacerdos licite possit legere vel cantare missam et nō cōsecrare panē: siue cōficere corpus christi.*

**Sol.** In nullo casu licet. Grauius em̄ peccat presbyter criminofus qui se celebrare simulat et nō celebrat: q̄ si celebraret. Proxius itaq̄ falsa remedia sunt abiiciēda: q̄ sunt veris picul' grauiora.

**Arti. II** *Resoluens VIII dubia que occurrunt circa panē cōsecratū siue corp' christi ante sumptionē.*

**I** *Utrū sacerdos cōsecrans panē: teneat sumere.*

**Sol.** Quotiens sacerdos cōsecrat: tenet sumere.

**II** *Utrū in p̄dicto casu teneat semp totū sumere.*

**Sol.** Itō semp tenet. Si em̄ sacerdos p̄secret plures hostias pro viatico infirmoꝝ reseruandas: vel alijs p̄tunc dispensandas: nō tenet nisi vnā sumere. Si etiā aliquis sub missa icideret in infirmitatē vbi imineret periculū mortis: et non haberet alia hostia cōsecrata: debet sacerdos illam quā ipse sumptur' erat totam: diuidere: et partē infirmo dare. Si etiā post sumptionem sanguinis et ablutionis reperiret aliqua notabilis particula hostie consecrate vel tota hostia cōsecrata: reseruari debet et nō protunc sumi: vt infra tangetur.

**Dubiū**

**III** *Quid agendū: si deprehendantur aliquę particule super corporalib: palla: vel patena: que de hostia cōsecrata sint resolute.*

**Sol.** Diligent' recolligant': et sumant' cū hostia sumēda vel sanguine ante sumptionē ablutionis.

**III** *Quid agendū: si p̄pter frig' aut aliā causam accidentalē: hostia vel pars ei' ceciderit in calicem de manu sacerdotis.*

**Sol.** Si tota hostia inciderit: nihil iterādū ē: sed obseruatis ceteris obseruandis: sumat' simul cum sanguine. Si hō pars aliqua in manu remanserit: frangat' illa: et pars vnq̄ mittat' in calicem et procedat' vlteri' more consueto.

## Capitulum

**V** Quid agendū: si ceciderit hostia dissecta vel ps ei<sup>9</sup> sup terrā: vel lapidē: vel pānū: aut aliud simile.

**Sol.** Statim reuenter leuet: et reponat illuc vnde cecidit: perquirat q̄ diligens si aliquę particule de hostia resolute ibi remanserint: que cōsimiliter leuentur. Deinde locus vbi hostia iacuit radatur: et abrasa cōburant: cineresq; in sacrario reponant. Et si loc<sup>9</sup> nō possit conuenienter statim radi circumsignetur: et cooperiatur ne pedibus tangatur: donec cōmode radi possit. Si vero super pannum: vestem: aut aliud huiusmodi ceciderit: diligenter excutiat pars illa vbi iacuit super corporale vel patenam: poterit insuper lauari: et aqua lotionis in piscinam mitti.

Et vbi occurreret casus: q̄ sacerdos nō posset conuenienter vel sine graui scandalo leuare: vel si esset periculū in mora: vt timeretur q̄ animal brutū aut puer sumeret: vel pedib<sup>9</sup> cōculcaret: vel aliud huiusmodi: tunc debet reuenter leuari a ministrante: v<sup>l</sup> alio etiā laico si nō assit alius sacerdos: et porrigi ad manū celebrantis.

**VI** Quid agendū: si sacerdos casualiter tangat hostiā cū naso: mento: barba: veste: vel alio hmoi.

**Sol.** Si notabiliter tetigerit ita vt verisimiliter time-ri possit q̄ aliqua particula minima hostie ibidem manserit adherens: statim post sumptionē hostie vel ante si cōmode fieri possit: fricet cum extremitate patene sup corporale illa pars nasi: menti: vel illi<sup>9</sup> quo tacta fuit hostia: Deinde excutiat corporale super patenā: et si aliquid ibi appareat de hostia: sumat vel mittat in calicē: et sumat cum sanguine: et nihilomin<sup>9</sup> post ablu-tionē digitorū: discrete lauet vel humectetur cū digito eadē ps rei cōtacte: et abstergat cū pāni-culo abstersiuo quo calix abstergi solet. Si cū veste aut alio cōsimili tetigerit: excutiat pars illa sup patenā vel corporale: et agat vt supra.

ubiā

Quid ag  
aliq alio  
Sol. Fiat vili  
hostia  
turer p  
possit  
et cōfoc  
Quid ag  
copi ob  
nis vel p  
maneret  
Sol. In tali ca  
dos effu  
vt sacer  
q̄ que m  
Sol. Hinc VII  
obvult iun  
Quid ag  
maneat p  
Sol. Quodā e  
trasp si  
vnderet  
vt parit  
vt sacer  
fari nō  
n possit  
trilla p  
fari vici  
ludē  
Quid ag  
tr aliq  
Sol. Quodā  
merian  
natur  
clur e  
tallo m  
pina

**VII** Quid agendū si hostia consecrata: per ventum vel aliq̄ alio mō fuerit amota de altari et amissa.

**Dubiū**

**Sol.** Fiat diligentissima perquisitio ad inueniēdum hostiam: que si inuenta fuerit: reuerent̄ reponatur: et pcedatur in missa. Si x̄o inueniri non possit: accipiatur noua hostia: reincipiat canon et cōsecratur: deinde pcedatur mō psueto.

**VIII** Quid agendū: si cum sumendū est sacramentū: corp⁹ christi miraculose appareat sub specie carnis vel pueri vel aliqua alia: nō cōuenienti hu/mane refectioni.

**Sol.** In tali casu nō est sumendū. Nec ppter hoc sacerdos efficit transgressor precepti: quo mādatur vt sacerdos cōsecrans sumere debeat consecratū: qz que miraculose fiunt: legib⁹ nō subduntur.

**Ar. III.** Resoluens VII dubia circa panē consecratū siue corp⁹ christi: post sumptionē occurrence.

**I** Quid agendū sit: si in sumptione sanguinis remaneat pars hostie in fundo calicis.

**Sol.** Lauendū est ne infundat̄ vinū vt cum illo sumatur: qz si cū vino sumeret: ex quo vinū citi⁹ descenderet in stomachū et pueniret descensum illi⁹ partis hostie: tunc iam solutū esset ieiuniū: et ita sacerdos non ieiun⁹ sumeret: qd̄ in hoc casu fieri nō debet: cum aliud et facile remediū haberi possit: hoc videlicz: vt digito consecrato duca- tur illa pars ad labiū calicis: et inde sumat: postea digitus sugatur et abluatur cum vino: et illud etiā sumatur.

**Dubiū**

**II** Quid agendū: si p̄ sumptionē sanguis repian- tur aliq̄ pticule siue reliquie resolute de hostia.

**Sol.** Si certū sit q̄ sint resolute de hostia consecrata: et reperiant̄ ante sumptionē ablutiois: statim sumantur. Si post sumptionē ablutiois reperiat̄ur: et sit aliqua ita magna q̄ possit ab sq̄ periculo tractari et reseruari: tūc reseruet̄ vsq̄ ad primā celebrationē: in qua cum hostia sumat:

## Capitulum

nisi graue scādalu timeat euenire ex reuatiōe.

Si autē oēs sint adeo parue q̄ absq̄ pericu/lo tractari ⁊ reseruari nō possint: tunc sumant: nō obstante q̄ prius sumpta sit ablutio: quia q̄ diu sacerdos est in actu perfectionis sacramenti et recollectionis reliquiar: q̄cquid sit: dicit̄ fieri mox et in cōtinenti: nullo actu cōtrario in termedio: id est quasi simul sumeret omnia ante q̄ censeatur nō ieiun⁹. Ubi etiā solutū esset ieiuniū: nō obstaret: q̄ preceptū de p̄fectione sacramenti maius est: vt supra patuit. Cautum tamen videt̄ vt ante ablutioē reliquie diligenter perquirant̄ et recolligentur atq̄ sumantur.

Si hō dubiū sit vtr̄ reliquie iste resolute sint de hostia cōsecrata vel non cōsecrata: agatur vt dictū est: cum hac tamen generali intentione ac cōditione: si sint cōsecrate.

**III** Quid agendū si post sumptionē sanguinis reperiat̄ aliqua hostia integra.

**Sol.** Si certum sit q̄ sit consecrata ⁊ reperiat̄ ante sumptionē ablutiois: statim sumi potest: vel reseruari. Sic etiā agendū est: si super manserit aliqua hostia de eis quibus alij communica uerunt. Si post sumptionem ablutiois inueniatur: reseruetur pro viatico: vel in sequenti celebratione sumat̄. Si hō dubiū sit an sit cōsecrata: agatur eodē modo: cum hac tamē p̄ditione: si sit cōsecrata.

**III** Quid agendū: si quis post sumptionē corporis christi statim patiat̄ vomitū.

**Sol.** Reuerenter recolligant̄ species panis si discerni possint: et reponant̄ in sacrario: vel sumant̄ ab aliquo: si saltē assit aliq̄s ad sumendū dispositus absq̄ nauſea: ⁊ ea ī qb⁹ inuēte fuerint species: cōburant̄: ⁊ cineres in sacrario recōdant̄.

**V** Quid agendū: si quis post sumptionē ex infirmitate statim emittat̄ per secessum quod sumpsit.

**Sol.** Recolligat̄ spēs: ⁊ fiat sicut ī casu p̄cedēt̄ dubij.

**VI** Quid agendū: si hostia cōsecrata ⁊ reseruata reperiatur putrefacta: vel aliunde corrupta.

**Dubiū** Sol. Reuerenter tractet: et in sequenti missæ celebratione sumat: et in sequenti sumptionem sanguinis. Si hō sumi nō possit: recondatur in sacrario.

**VII** Quid agendū: si hostia cōsecrata comesta fuerit a mure vel alio bruto animali.

Sol. Si animal illud statim apprehendi possit: aperiat tur corpus eius: et diligenter perquiratur tam in ore q̄ in intestinis si aliquæ species inueniri possint: que si inueniantur: recolligant et recōdantur in sacrario. Corp⁹ hō animalis cōburatur: et cineres similiter recondantur.

**Ar. III** Resoluens XIII dubia circa vinū priusq̄ cōsecratur incidentia.

**I** Quod et quale debeat esse vinum: vt sit aptū ad cōsecrandum.

Aqua vinata  
seu aqua sup/  
fusa super acer  
uos vuarū p⁹

**Solu.** Debet eē vinū vitis de vua exp̄ssum: qz nō est vinū.

Et iō nō pōt hoc  
sacramētū ꝑfici in

Agresto: id est  
succo de vua im/  
matura exp̄presso.

**Dubiū**

Aceto.

Malogranataꝝ

Mororꝝ

qz nō ē vinū

Vino Cerasorꝝ

Vitis adhuc in

vua ꝑtento: qz nō ē exp̄ssū de vua:  
vnde magis habet rationē comesti  
bilis: q̄ potabilis.

**II** Quid agendū: si loco vini fuerit aqua vel ali⁹ liquor posit⁹ in calicem.

## Capitulum

**Sol.** Si sacerdos hoc percipiat ante consecrationem panis: et vinū habere non possit: missam deferat imperfectam. Si autē vinū habere possit: effundat priorē liquorē: et imponat vinū cum aqua: pcedatq; vlteri⁹ nihil repetendo. Si x̄o percipiat post p̄secrationē panis et ante cōsecrationē calicis: et vinū nō possit habere: pcedat nihilomin⁹ corpus christi sumēdo absq; sanguine: et missam terminādo. Sed si possit habere vinum: effundat liquorē: et preparat calicē vt supra: pcedatq; ad cōsecrationē calicis: Incipiendo ibi: Simili modo: nihil repetens de prius lectis. Si autē percipiat hoc post consecrationē calicis ⁊ ante sumptionē atq; diuisionē hostie: tūc effundat illū liquorē in aliud vas: qui postea ppter reuerentiā verborū cōsecratiōis sup ipsum prolatoꝝ: mittatur in piscinam: Imponatq; vinū aqua mixtū in calicē: quo facto: accedat ad cōsecrationē sanguinis reincipiendo ibi: Simili modo: et deinde pcedat more cōsuetō. Vbi x̄o vinū haberi non posset: sumendū est corp⁹ absq; sanguine: vt in casu p̄cedenti. Et ita etiā in sequentib⁹ agendū est: si vinū haberi nō possit. Sed si hostia sit diuisa: et pars missa ī calicez: tunc caute extrahat illam partē: ⁊ reponat sup patenā: ⁊ liquorē effundat in aliud vas: quē postea sumat post abluionē: vel in sacrario recondat: ppter reuerentiā hostie p̄secrate impositē in ipsum. Deinde imponat vinū cum aqua: ⁊ reincipiat vbi pri⁹: pcedendo ad consecrationē sanguinis. Et quilla pars hostie que extracta est de calice nō potest bene tractari ppter humectationē: ideo capiat aliā partē hostie nō humectatam: et cum verbis ac signis cōsuetis mittat in calicez: partē x̄o humectatā sumat cum alia parte nō humectata: ⁊ pcedat vltcrius more solito. Si x̄o p̄dictum liquorē percipiat post sumptionē corporis: ante tamē sumptionē et gustationē istī liquoris in debiti: tunc sicut prius extrahat partem hostie missam in calicē: ⁊ reponat super patenā: ⁊ faciat cum liquore vt prius. Imponatq; vinū cū aqua: et cōsecret sanguinē: reincipien

do vt supra . Et vbi faciēda sunt signa super calicē cū hostia anteq̄ d̄r: et etiā cū dicitur: Pax dñi rē . faciat signa illa absq̄ hostia super calicem. In ceteris p̄cedat more solito: tādē sumat partē hostie humectatā et postea sanguinem: et missam perficiat vt cōsuetū est . Sed si liquorem illū sumere inceperit: ⁊ adhuc in ore teneat vel partim deglutierit: dūmodo pars hostie in calice remāserit: emittat discrete ex ore in aliud vas: et extrahat partē hostie: et agat cum liquore ⁊ ceteris vt in casu p̄cedenti . Si aut̄ etiam partē hostie in os susceperit non tamē transglutierit: discrete et caute totū emittat ex ore in calicem: deinde extrahat partē hostie vel particulas ei⁹ si in particulas resoluta fuerit: et faciat in ceteris vt supra . Si hō partem hostie cum liquore sumpserit: tūc nisi graue scandalum timeatur: apponenda est alia hostia cōsecranda: ⁊ calix cum vino et aqua preparandus: et reinciipiendū est a canone: et vtq̄ cōsecrandū atq̄ sumendū . Sed si graue scandalū timeat ex appositōe noue hostie: tūc solū p̄paretur calix cū vino ⁊ aqua: ⁊ incipiat ab illo loco: Simili mō: et cōcludatur cum istis verbis: hec quotiēscūq̄ feceritis in mei memoriā facietis: et statim sanguis sic cōsecratus sumat . Nec obstat in istis casib⁹: solutio ieiunij: q̄ preceptū de perfectiōe sacramenti mai⁹ est: q̄ preceptum de ieiunio: vt supra dictū est . In omnib⁹ etiā dictis casib⁹ cum tali cautela et discretione agendum est: vt q̄tū fieri poterit: scandalū euitetur . Unde neq̄ hostia neq̄ calix iterato eleuari debet: si prius facta fuerit eleuatio .

### Dubiū III

Sol.

Quid agendū: si impositū sit vinū corruptū .  
 Quia vinū corruptū specie vini atq̄ substantiā amisit: sicut mutatio accidentium demonstrat .  
 Ideo nō est cōsecrabile . Cum ergo percipit esse

## Capitulum

corruptū aliquo modoꝝ expressoꝝ in preceden-  
ti dubio: agatur vt ibidem expositū est.

**III** Quid agēdū: si vinū nō sit impositū calici: neq;  
aliquis alius liquor: sed dimissus sit vacu⁹.

**Sol.** Nō cito percipit: imponendū est vinū aqua mix-  
tum: et vlteri⁹ pcedendū. Si autē vinū habe-  
ri nō possit: ⁊ fuerit ante cōsecrationem panis:  
tunc missa deserat imperfecta. Si hō cōse-  
cratio panis facta sit: pcedat in missa: vt circa se-  
cundū dubiū huius articuli tactū est.

**V** Quid agendū: si vinū sit dispositū ad corruptio-  
nem non tamē corruptum: vt si acescat: vel si sit  
pendulū: aut fetidū vel imundū: aut aliū p simi-  
lem habens defectū.

**Sol.** Si percipiat ante cōsecrationē calicis: remouea-  
tur ⁊ apponatur vinū aptū: si haberi possit. Si  
autē haberi nō possit: vel si percipiat post cōse-  
crationē: pcedatur ⁊ perficiat officiū.

**ubiū** **VI** Vtꝝ in musto possit cōfici hoc sacramentū.

**Sol.** Potest cōfici: sed nō debet si nō sit defecatu vel  
purificatu: nisi necessitas cogat: qua cogente:  
posset etiā exprimi de vna in calicē.

**VII** Vtꝝ vino psecrādo possint vne itegre pmisceri.

**Sol.** Hoc fieri nō debet qm̄ phibitū est: vt habet de  
cōse. di. ij. didicim⁹. Neq; pmisceri debet mustū  
ex vna psum in calicem.

**VIII** Vtꝝ cōfici possit hoc sacramentū in nectare siue  
vino cōdito: aut p species aromaticas colato.

**Sol.** Quid natura et species vini manet: potest cōfi-  
ci: nō tamē fieri debet: nisi in casu necessitatis.

**IX** Vtꝝ possit cōfici in vino puro absq; cōmixtione  
aque.

**Sol.** Potest: sed nō debet. Unde si sacerdos ante cō-  
secrationē deprehēdat aquā nō esse cōmixtam:  
statim cōmiscere debet.

**X** Que et qualis debet esse aq; q; vino pmiscēda ē.

**Sol.** Aq; debet esse naturalis siue elemētaris ⁊ pura.



**XI** Quid debeat aqua vino admisceri.

**Sol.** Tam modica debet imponi: vt vinum in sua natura et specie possit permanere. Si em̄ a natura sua mutaretur: nō posset cōfici. Unde vna gutta aque q̄tumcumq̄ parua: dummodo debito tempore fuerit imposta vt possit fieri mixtio: sufficit: et p̄cipue si vinū sit debile.

**XII** Vtrū sufficiat q̄ aq̄ fuerit admixta vino adhuc existente in dolio.

**Sol.** Non sufficit. Quia em̄ cōmixtio illa sacramentalis est: Ideo fieri nō debet anteq̄ mysteria inchoentur: vel fiat preparatio ad inchoandū: et ad tardi⁹ imminente oblatiōe: vt possit fieri transmutatio aque in vinū.

**XIII** Vtrū quis licite possit nō cōsecrare vinū: facta cōsecratione panis.

**Sol.** Non potest licite: perfecta em̄ debent esse sacramenta. Christus autē hoc sacramentū sub speciebus panis et vini instituit: vnde vtrūq̄ offerri: cōsecrari: et sumi debet.

**XIII** Quid agēdū: si sacerdos deprehēdat vinū esse cōgelatū in calice cum vult cōsecrare.

**Sol.** Sacerdos curam adhibere debet vt resoluatur: vel per applicationē prunax: aut p̄ani calefacti: vel manūū calefactorū: aut p̄ infusionē vini calefacti: vt recipiat rationē actualē potus. Si tamen nō resoluere: nihilominus posset p̄fici: qz p̄ cōgelationē natura vini nō est corrupta. Hoc tamen cauēri debet q̄tum fieri potest.

**Arti. V** Resoluens VIII dubia q̄ circa vinū cōsecratū siue sanguinem christi ante sumptionē occurrunt.

**Dubiū I** Quid agēdū: si sacerdos post cōsecrationē recolat vel deprehēdat aquaz nō fuisse admixtam vino: vtrū videlicet adhuc debeat admiscere.

**Sol.** Nullo mō debet aquā vino cōsecrato admiscere: qz sequeretur corruptio sacramenti ad min⁹ in aliqua parte: quod cauēri debet: si fieri possit: Sz

## Capitulum

precedat sine admixtione aque. Admixtio est aq̄  
nō est de necessitate consecrationis: sed consecratis.

**II** **Utr̄** sacerdos semp teneat sumere sanguinem.  
**Sol.** Quotiescūq; consecrat tenet sumere: nisi irreme/  
diabile impedimentū supueniat. Si tamē alius  
sacerdos non celebrans communicando sumat  
corpus christi: talis non debet sumere sangui/  
nem sed vinum nō consecratum post sumptio/  
nem corporis.

**III** **Quid** agendū: si sacerdos ex quacūq; causa nō  
possit sumere vinū: et ita etiā neq; sanguinē su/  
mere valeat.

**Sol.** Si sacerdos sciat vel probabiliter timeat q̄ non  
possit absq; nausea et periculo vomit<sup>9</sup> vel alio  
incōuenienti: tantū vini sumere q̄tum ad conse/  
crationē necessariū est: nō debet celebrare. Et  
si missam inceperit et nondū consecrauerit corp<sup>9</sup>:  
inceptā deserat. Si aut̄ post consecrationē cor/  
poris et ante consecrationē sanguinis sentiat vel  
timeat se nō posse sumere sanguinē ppter nausēā  
ex inspectiōe vel odore vini consecrandi vel alio  
huiusmodi accidente: non debet consecrare san/  
guinem. Sz debet pcedere sicut in illo casu vbi  
post consecrationē panis calix deprehendit va/  
cuus vel liquore nō consecrabilī paratus: et nō po/  
test vinū debitū haberi ad consecrandū: put ta/  
ctum est superi<sup>9</sup> articulo quarto in solutione se/  
cundi dubij. Si ho post consecrationē sangui/  
nis et p̄cipue circa temp<sup>9</sup> sumptionis eius hoc  
sentiat vel timeat: tuti<sup>9</sup> est q̄ nō sumat: sed reue/  
renter atq; diligenter reseruet vsq; ad primam  
celebrationē. In qua post sanguinē tūc consecra/  
tum et sumptum: sumat illū reseruatū.

